Quelle: https://manuscripta.at/?ID=383
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Non dum produxit spinas ramnus. non dum dicere cecior in hac flamma. sed iam est mentis cecitas. iam oculis mentis extinctus est. Si cecus oculis carnis ad mensam suam qualibet optimam discumberet. miserum eum diceres. Cecus interius panem Christum non uidet et beatus est? Hoc non dicet nisi pariter cecus. Ergo est fructus iusto. ergo est deus iudicans eos in terra. Si aliquantum prolixiores fuimus. date ueniam. Exhortamur uos in nomine Christi ut hec que audistis ad fructum cogitetis. quia et predicare ueritatem nichil est. si cor a lingua dissentiat. et audire ueritatem nichil prodest si homo non super petram edificet. Qui edificat super petram. ipse est qui audit et facit. Qui autem audit et non facit. edificat super harenam. Qui nec audit nec facit. nichil edificat. Sed quomodo qui edificat super harenam ruinam sibi edificat. sic ille qui non edificat super petram ueniente fluuio rapitur sine domo. Non est quod facere nisi edificare et super petram edificare. id est audire et facere. Nec aliquis dicat ut quid procedo ad ecclesiam. Ecce qui cotidie ad ecclesiam procedunt non faciunt quod audiunt. Faciunt tamen ut audiant. sic possunt facere ut audiant et faciant. Tu autem quantum longe es a faciendo. qui tamen fugis ab audiendo. Sed ego inquit non edifico super harenam. Nudum te inuenturus est fluuius. Numquid non ideo te ablaturus est? Numquid ideo pluuia non necabit? Numquid uenti propterea non abripient? Ergo ueniam et audiam. Sed cum audieris fac. Nam si audieris et non feceris. edificasti quidem ~~harenam~~ sed super harenam. Qui ergo sine edificio constituti nudi sumus. in edificio autem super harenam posito sub ruina sumus. restat ut super petram edificemus. et quod audimus faciamus.

Explicit psalmus L.VII. Incipit tractatus de psalmo L.VIII.

SICUT SOLET scriptura psalmorum hystoriam in titulis ponere et frontem psalmi sublimitate sacramenti decorare. ut sciamus qui intraturi sumus cum tamquam super postem quid intus agatur legerimus. cuius domus sit. uel quis nam sit illius predii possessor: ita et in hoc psalmo scriptus est titulus de titulo. Habet enim. In finem ne corrumpas ipsi dauid in tituli inscriptione. Hoc est quod dixi titulus de titulo. Que nam enim sit tituli huius inscriptio quam corrumpi uetat euangelium nobis dicat. Nam cum dominus crucifigeretur. titulus inscriptus est a pylato. et positus rex iudeorum. tribus linguis hebrea. greca. et latina. Que lingue toto orbe maxime excellunt. Igitur si rex iudeorum crucifixus est. et iudei regem suum crucifixerunt crucifigendo eum et regem gentium fecerunt magis quam occiderunt. Ergo de quanto in illis fuit perdiderunt Christum. sed sibi non nobis. et mortuus est ille pro nobis. et sanguine suo redemit nos. Et modo non est corruptus titulus. quia ille rex est non solum gentium. sed et ipsorum iudeorum. Quid enim? Quia contradixerunt ideo regis sui dominationem euertere potuerunt? Rex est et supra illos. Nam ille rex uirgam ferream gerit que et regit et frangit. Ego inquit constitutus sum rex ab eo super syon montem sanctum eius predicans preceptum domini. Dominus dixit ad me. filius meus es tu ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam. et possessionem tuam terminos terre. Reges eos in uirga ferrea. et tanquam uas figuli conteres eos. Quos regit. quos conterit? Regit obedientes. conterit resistentes. Ergo ne corrumpas optime et prophetice quamquidem et illi iudei suggesserunt tunc pylato et dixerunt noli scribere rex iudeorum. sed scribe quia ipse se dixit regem iudeorum. Nam et iste titulus inquiunt confirmauit illum regem nobis. Et pylatus. Quod scripsi scripsi. Et impletum est ne corrumpas. Nec iste solus psalmus habet huiusmodi inscriptionem. ut titulus non corrumpatur. Aliqui psalmi sic prenotati sunt. sed tamen in omnibus passio domini prenuntiatur. Ergo et hic intelligamus passionem domini. et loquatur nobis Christus caput et corpus. Sic semper aut prope semper audiamus uocem Christi de psalmo. ut non solum intueamur caput illud. unum mediatorem dei et hominum hominem Christum Ihesum. Qui et secundum diuinitatem in principio erat uerbum deus apud deum. quod uerbum caro factum est et habitauit in nobis. caro ex semine dauid de uirgine maria. Non ergo illum solum qui est caput nostrum cogitemus quando audimus Christum loqui. sed cogitemus Christum caput et corpus totum integrum quendam uirum. Nobis enim dicitur: uos autem estis corpus Christi et membra. ab